



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 8. An & quomodo obligant contractus ad diem, sub modo, ad causam,
& ad demonstrationem!

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

sine vi, & dolo præstitum. Igitur cum jura tunc negent jus repetendi, & reclamandi, quod concedunt quando juramentum dolo, vel metu, extortum est, agnoscunt Jus Justitiæ tunc oriri, & volunt valere contractum ob reverentiam juramenti. 2. Quisque potest renunciare favori pro se directè introducto per legem, nisi ob aliquam causam id prohibeatur: licet enim cedere juri & bono privato, cujus domini sumus. Ergo posita tali renunciatione, perinde est ac si non esset Jus positivum: at Jure positivo secluso contractus illi sunt ex natura sua firmi, & validi, ideoque perinde obligant ex Justitia, ac si per leges non fuissent irritati.

Si tamen legislator ita irritaret contractum, ut nullam vim habere vellet in conscientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur Juramento: quia subditus non potest derogare potestati, ac voluntati legislatoris; & Juramentum, cum sit accessorium contractui, non potest facere, ut id, quod non est, valeat.

Q. 8. An, & quomodo obligant contractus ad diem, sub modo, ad causam, & ad demonstrationem?

Resp. I. Contractus ad diem, inducit statim obligationem, quam tamen debitor non tenetur complere ante diem præfinitum. Contractus

tractus verò ad diem incertum, v. g. *cùm nupseris, cùm navis ex Indis venerit*, suspendit consensum, & obligationem, nam resolvitur in conditionalem, v. g. *si nupseris*, Sc. L. I. ff. de *condit. & demonstr.*

Resp. II. Contractus, *Sub modo* obligat statim nec irritus est, etiamsi modus non impleatur, nisi appositus sit sub annulatione donationis, vel legati. Nam modus dispositionem perfectam supponit, & consequitur, non autem illam suspendit; in quo differt à conditione: modus enim est quoddam onus adjectum dispositioni, quo alter gravatur ad aliquid præstandum. Est tamen gravis obligatio ex Justitia talem modum præstandi.

Resp. III. Contractus seu dispositio facta ad causam, nulla est, si causa finalis non subsistat; quia non est voluntas dandi, seu alienandi, nisi sub conditione, si causa finalis subsistat; & sublatâ causâ volendi non est volitio. Hinc res data ob causam retineri non potest causâ non subsecutâ. At valet dispositio, si sola causa impulsiva deficiat: quia dispositio non fit sub conditione illius, & subsistente motivo principali, ac finali volendi, subsistit dispositio.

Resp. IV. Error, seu falsitas in demonstratione, non vitiat contractum, seu dispositionem, modò demonstratio non apponatur per modum conditionis, nec error sit circa substantiam rei, contractûs, seu personæ: nam talis error non tollit consensum circa substantia,

tialia. Idem dic, quando constat de re, & persona, cui dispositio fit, l. 17. & 33. ff. de condit. & demonstr. quia demonstratio fit ad peculiari- ter indicandam rem, de qua fit dispositio, & personam, cui fit: quare si aliunde de utraque constet, non oberit falsitas. Hinc valet hæc dispositio: dono, vel lego Titio equum me- um, quem emi Parisiis, licet alibi emerim, vel prædium propè urbem situm constans quin- quaginta jugeribus, licet non tot constet. At dum res, quæ demonstratur, non existit, nulla est dispositio defectu materiæ; ut si dicas: do- no, vel lego Titio pecuniam, quam in tali loco habeo, cum ibi nullam habeas.

Q. 9. *Ad quid obligat contractus alternativus, seu sub disjunctione?*

Resp. I. Si disjunctio cadat in res diversæ speciei, v. g. promitto tibi bovem, vel equum, ambæ manent sub obligatione, sed disjunctivè pro arbitrio promissoris, ex l. 10. ff. de Jure dotium, & reg. 70. Jur. in 6. ibi: *in alternativis debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.* Una autem pereunte tenetur promissor dare, quæ superest, nec sufficit dare pretium rei de- structæ, modò creditoris culpâ non perierit. Si autem alternativa detur in res ejusdem spe- cie, seu quæ differunt solùm secundum plus, & minus, v. g. centum, vel quinquaginta au- reos, aut in tempus, v. g. post annum, vel bien-